



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. III. Quam ob causam? A quo? Et erga quos ferri possit Interdictum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

Respondeo, ex cap. *Is cui*, de *sententia excommunicat.* in 6. quod si dederit signa contritionis, possit absolvi, & in loco sacro sepeliri; secus vero non possit. Quid autem significet, aliquem esse interdictum ab ingressu Ecclesiae, & utrum talis censura sit dicenda suspensio, an vero Interdictum? diximus quaest. super. art. 4.

Notandum hic solum ex Avil. disp. 4. dub. 5., & Henr., per suspensionem ab ingressu Ecclesiae solos Clericos ligari; per Interdictum vero ab Ecclesiae ingressu ligari etiam laicos, ne officiis Divinis intersint. Praeterea talis suspensio ferri non potest pro culpa aliena; potest vero tale Interdictum ferri; Et ideo aliquando in jure haec censura vocatur suspensio ab ingressu Ecclesiae, aliquando vero Interdictum.

VIII. Quæritur quarto; An Interdictus privetur usu jurisdictionis exterioris?

Respondeo cum Bonac., Avil., & aliis communiter negative; cum hoc non includatur in triplici effectu assignato Interdicti. Quare Interdictus, etiam nominatim denunciatus poterit excommunicare, & absolvere in foro exteriori, etiam cum solemnitate, tam intra, quam extra Ecclesiam. Sacramentum vero Pœnitentiæ ministrare non potest, cum hoc includatur intra Divina officia, quæ per Interdictum prohibentur.

IX. Utrum autem Sacramentum Pœnitentiæ ab interdicto ministratum sit solum illicitum, an etiam invalidum? Disputant Doctores. Bonac. putat, esse solum illicitum, sicuti si ab irregulari ministraretur. Suar. tamen censet, fore invalidum, quia Interdictum privat rebus Divinis, quantum potest.

ARTICULUS III.

Quam ob causam? A Quo? Et erga Quos ferri potest Interdictum?

- I. *Interdictum personale speciale* presupponit culpam propriam; secus vero *Interdictum generale*, sive personale, sive locale.
- II. *Innocentes per Interdictum generale non puniuntur*, sed solum Ecclesia ob justam sui defensionem subtrahit illis suum ministerium.
- III. *Interdictum generale* prærequirit gravem culpam. Et probabilius etiam *Interdictum speciale personale*, nisi sit *partiale*.
- IV. *Interdictum generale*, ac *speciale locale* imponi nequit ob debitum pecuniarium; potest tamen ob id imponi *Interdictum speciale personale*, non secus ac *Excommunicatio*, & *Suspensio*.
- V. *Ritus ferendi Interdictum* quinam sit?
- VI. *Ferre possunt Interdictum*, qui jurisdictionem habent in foro exteriori, demptis *Pralatis regularibus* ex desuetudine. Etiam *excommunicatus vitandus* interdicere potest.
- VII. *Quanam persona*, & *quanam loca* interdicti possunt?
- VIII. *Interdictum locale* etiam ab *Interdicente* servandum est; nisi velit illud ad tempus, vel simpliciter tollere.

I. **Q**uæritur primo; Ob quam culpam possit Interdictum ferri?

Respondeo, Interdictum personale speciale ferri non potest, nisi ob culpam propriam, cum nullus innocens possit licite puniri. Ita communiter contra Avil. dub. 3.; Ubi ex Henr. di-

dicit, posse uxorem propter culpam mariti interdici; quia quamvis nemo possit puniri ob culpam alienam in bonis spiritualibus interioribus, potest tamen in bonis spiritualibus externis, quæ sunt externa adminicula spiritualia. Interdictum vero generale personale, sicut etiam locale, tam generale, quam speciale ferri potest propter culpam alienam, non tamen propter culpam personæ privatæ, nisi tantum a Pontifice; Etenim pœna communitatis debet supponere culpam etiam ipsius communitatis. Quare ferri potest propter culpam vel communitatis, vel ejus capitis, aut Domini temporalis, ut habetur in cap. *Si sententia, de sententia Excommunicat.*

II. Neque dicas, quod in tali casu innocentes punirentur; Nam, ut superius diximus, per Interdictum generale Personale, aut Locale non privantur innocentes bonis spiritualibus, ad quæ jus aliquod habeant; (sicut per Suspensionem privantur usu juris jam acquisiti) sed solum subtrahit Ecclesia interdictis suum ministerium; quod nocentibus cedit in pœnam, & ignominiam; innocentibus vero non vertitur in pœnam, sed id iis permittitur propter justam Ecclesiæ defensionem: Sicuti si Rex propter culpam perduellium tolleret ab aliqua civitate privilegia concessa, donec sibi satisfaceret.

III. Dubium est; An propter venialem culpam ferri possit aliquod Interdictum?

Respondeo, certum esse, quod citra culpam gravem ferri non possit Interdictum Generale Personale, & Locale, quod etiam innocentes afficiat; cum sit pœna gravissima. Interdictum vero personale speciale ferri posse ob culpam venialem, putant Avil., Henr., Sà, Hurt. diff. 13., non secus ac ob levem culpam fer-

tur excommunicatio minor, quæ est major pœna, quam Interdictum; Illa siquidem privat perceptione passiva omnium Sacramentorum, & electione passiva ad Beneficium; Interdictum vero solum aliquibus Sacramentis privat. Verum negat probabilius Suar., Vasq., Laym., Pal., tum quia privat Interdictum gravissimis bonis, quibus non privat excommunicatio minor, videlicet divinis officiis, Ecclesiastica sepultura, &c. Tum etiam quia difficilius tollitur, quam excommunicatio minor; cum hæc etiam a simplici sacerdote probabiliter tolli possit; illud saltem a Confessario approbato; Demum quia per violationem Interdicti incurritur sæpe irregularitas, non vero per violationem excommunicationis minoris. Non negaverim tamen, quod Interdictum parziale, quod sit levis pœna, (puta si sit Interdictum ab ingressu Ecclesiæ ad breve tempus) imponi possit ob culpam venialem.

IV. Quæritur secundo; An possit ob debitum pecuniarium poni Interdictum?

Respondeo cum Avil. dub. 3., Henr., & aliis, Interdictum locale generale, & a fortiori Interdictum personale generale imponi non posse propter debitum pecuniarium, ex Extravag. *Provide, de sententia Excommunicat.*; & probabilius per eandem Extravagantem neque potest propter debitum pecuniarium poni Interdictum locale speciale; Potest tamen poni propter talem causam personale speciale; sicuti Excommunicatio, & Suspendio ob eandem causam ferri possunt.

V. Quæritur tertio; Quonam modo, seu ritu feratur Interdictum?

Respondeo, ferri, sicut fertur Suspendio, videlicet sine determinatis verbis, sed in scriptis, & instrumentum debet dari intra mensem Inter-

dicto, si petatur; aliter Judex erit suspensus per mensem ab ingressu Ecclesiae. Quando ponitur Interdictum ob contumaciam, precedere debet monitio; secus vero si ponatur ob delictum praeteritum: Etenim in cap. *Romana, de sententia excommunicat. in 6.*, ubi fit mentio Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, de sola excommunicatione dicitur, nunquam ferendam esse sine monitione; atque adeo possunt Suspendio, & Interdictum ferri ob delictum praeteritum. Quando tamen Judex fert Interdictum contra participantes cum Interdictis a se, debet monere ipsos participantes nominatim tribus vicibus, vel una pro tribus; alias erit nullum, ex cap. *Statutum de sententia Excommunicat.*

VI. Quæritur quarto; Quinam possint Interdictum ferre?

Respondeo, omnes illos, qui possunt excommunicare, & suspendere, ut diximus quaest. 3. art. 2.; qui scilicet jurisdictionem habent in foro exteriori, & contentioso sive ordinariam, sive delegatam. Praelati tamen Religionum, quamvis possint ferre Interdictum personale, non tamen locale, ut notant Bonac. punct. 2., Suar. disp. 36., & alii; tum quia eorum jurisdicção magis est in personas, quam in loca; tum etiam quia interdictum locale ab iis ferri non solet; quod signum est, eos illud ferre non posse ex desuetudine; nisi forte in plebem habeant jurisdictionem, ut notant Doctores; Ubi etiam notandum, quod licet excommunicatus, vel suspensus non toleratus valide interdiceri non possit, cum sit privatus omni usu jurisdictionis, toleratus vero possit valide interdiceri; interdictus tamen, quamvis non toleratus, & valide, & licite interdiceri potest, cum per interdictum nec privetur jurisdictione, nec prohibeatur illam exercere.

VII. Quæritur ultimo; Quinam possit interdici?

Respondeo cum communi, interdici posse, excepto Papa, omnes baptizatos rationis compotes subditos Interdicens, non solum ut singulares personæ sunt, sed etiam ut membra Communitatis. Ratio est, quia omnes isti habent Superiorem in foro exteriori, etiam quoad jurisdictionem coactivam; Et in hoc Interdictum differt ab excommunicatione, quæ in communitatem ferri non potest. Interdici etiam possunt directe præter personas loca subjecta jurisdictioni Interdicens, & indirecte loca non subjecta, sed exempta, per Interdictum locale generale; ne Interdictum a Judice positum enervetur. Denique quod est semel interdictum, potest iterum interdici.

VIII. Rogabis; Possitne idem seipsum interdiceri?

Respondeo negative; cum idem non sit sibi met subditus: Verum tamen est, quod in Interdicto locali ipsemet ferens edictum includatur; sicut etiam superior, & æqualis; quia effectus Interdicti instituti sunt a jure communi, a quo illi obligantur: Sicut enim Episcopus, si excommunicet Petrum, tenetur vi juris communis cum illo non communicare; ita si ferat Interdictum locale, tenetur in eo loco Interdictum servare; nisi velit illud aliquando vel simpliciter, vel ad tempus tollere.

ARTICULUS IV.

De Violatione Interdicti, & de Participatione cum Personis interdictis.

- I. Interdicti violatio secundum se est culpa lethalis.
 - II. Etiam laici violando Interdictum in multis casibus lethaliter peccant.
- III.